

# ANALYSIS

*Quarundam*

## AQUARUM MINERALIUM

Magni Principatus  
*TRANSYLVANIAE.*

---

per

*Andream Gergelyffi,*

Physicum Comitatus  
*Kraszna.*

---

MIKE SÁNDOR.

GLAUDIOPOLI.

---

Typis Lycei Regii 1814.

I.  
ANALYSIS  
ACIDULARUM

ad Pagum Stojka  
Scaturientium.

---

*Situs Loci.*

**C**irca remotos, versus Maramaros, Transylvaniae limites, in Districtu a Magyar Lápos denominato, ad pedem montis excelsi Sátor, fitus est pagus Stojka, cum rivulo cognomine, juxta cujus decursum, 500-rum circiter passuum distantia, in valliculo Glodulus Valachis dicto, loco cœnoso, et uliginoso Scaturit hæc Acidula, ab Oppido M. Lápos unius, à vicino vero pago Kifs-Debretzen quadrantis horæ distantia; circa finem Augusti 1813 ob continuos imbres, et graves exundationes, lacuna profunda, et 10. ferme orgias lata, circumfusa, ut vix accessus patuerit, solo receptaculo, e ligno cavo confecto ad unam circiter spithamam exstante.



## *Qualitates Physicæ.*

*Claritas* hujus acidulæ nulla; *Color* e turbidulo-opalinus; *Odor* præter acidularem nullus; *Sapor* Salfus, ex amaro-subdulcescens, ceterum sat grate acidus (vino adfuso, salsedo obtunditur.)

*Gravitate Specifica* bylance dimensa, superavit aquam destillatam, ejusdem voluminis, et temperaturæ, in 64. pollicibus cubicis, 213½ grani. *Temperatura* vero ejusdem, juxta Thermometrum Reaumurianum, intra 9. et 10-um gradum, supra congelationis punctum, versabatur. *Quantitas aquæ* effluens parca, et quantum colligere licuit, intra minutum, quadrantem minime superans, adeoque per horam nonnisi 15. mensuras promens; sicca vero tempestate, per hamum ligneum e profundo haurienda.

## *Habitus ad Reagentia.*

1. *Charta Heliotropiata* acidulæ recenti immersa, sat profunde rubescit; sed ante deficcationem rubor evanescit. —  
A *Cocta* non mutatur.
2. C. *Aceto rubenti* color cœruleus perfecte restituitur. — A *Cocta* non secus.
3. C. *Fernambucata* post deficcationem tinctum violaceum, ad rubedinem declinantem nacta est; — A *cocta æque*.
4. C.



4. *C. Curcumata* badium colorem, ferme ochraceum adquisivit. — *Cocta* pariter.

5. *Tinctura Heliotropii* cœrulea, large adfusa, colorem amœne purpurascentem concepit, intra 20. horas in violaceum declinantem; — *Cocta* nil mutat.

6. *Trœ. Gallarum* 4-or guttulæ nil mutant; prout nec *Prussias Kali*.

7. *Baryta muriatica* lactescentiam sat densam, et paulo post sedimentum album exhibuit; — *Cum Cocta* æque. *Plumbum nitricum* similem edidit effectum.

8. *Kali oxalici* Solutio instillata, densam lactescentiam provocavit, et intra 20. horas, sedimentum album æquabile. — *Cocta* levem nubeculam ad fundum contraxit, intra noctem parcum deponens sedimentum.

9. *Kali puro* dilute lactescit, mox instar nubeculæ subsidens; — *Cocta* pariter. *Ammonia pura* idem efficit.

10. *Natrum Carbonicum* densam lactescentiam, mox congruandam provocavit, ab acido sulphurico limpide solutam, at intra noctem calcem sulphuricam deponentem.

II. *Aquae Calcis*  $\frac{1}{2}$  adfusa lactescentiam evanidam, pars anatica, congrumationem provocavit; limpida tamen pars porro quoque ab aqua calcis lactescebat, ut ferme dupla requireretur portio



ad Saturationem perfectam. *Spiritus Saponis* eundem fere effectum edit.

12. *Argentum Nitricum* subito densum, et album coagulum dejicit, obscuro cœlo serius cinerascens; — cum *Cocta* pari ratione. *Hydrargyrum Nitricum* eundem procreat effectum, coagulo albo perseverante.

13. *Acidum Sulphuricum* concentratum acidulæ recenti adfusum, cum stridore acuto, et fumo griseo validam effervescentiam diu durantem produxit. — Cum *acidis* quibusvis quin et *vino acidulo* aequè valide effervescit, et copiosissimas bululas egerit.

14. *Ab Alcohole* anatrice adfuso crassam in superficie turbiditatem concipit; — *Ammonia muriatica* ex aqua cocta calente, manifestum ammoniæ odorem elicit.

### *Gas Carbonici quantitas.*

Ope Hydrargyri, e 4-or. pollicibus cubicis acidulæ recentis, e distantia mediæ horæ, tempore pluvioso, allatæ, obtenti sunt pollices cubici gas  $8\frac{1}{4}$  peracta vero, per aquam Calcis resorptione, residui fuere poll. cubici  $2\frac{1}{2}$  quibus subductis, et aëri atmosphærico imputatis ipsi acidulæ attribuendi erunt  $5\frac{1}{4}$  seu pro mensura una Transylvanica 92. poll. cubici gas Carbonici; Interim nullus



nullus dubito quin sereno tempore, ad ipsum fontem, ultra 100. poll. cubici obtineri queant.

### *Evaporatio ejusdem acidulæ.*

Mensura una civilis Transylvanica 64 - or pollicum cubicorum, hujus acidulæ, e cucurbita vitrea more sæpius repetito, relatisque cum phœnomenis, ad 10 circiter uncias evaporata, colataque, copiosum sedimentum album, post desiccationem 33. grana ponderans, præbuit, cui adfusum acetum destillatum, 30. circiter guttulis acidi muriatici armatum, validam effervescentiam concitabat; peracta tandem intra noctem, colataque solutio, residua fecit grana 7. acidis refractaria. Solutio vero rite inspissata et desiccata, et per aquam destillatam redissoluta, instillata acidi Sulphurici sufficienti quantitate, noctis spatio copiosam calcem Sulphuricam deposuit, calcis carbonicæ grana 10½ designantem; magnesiæ vero Carbonicæ 15. grana exhibuit. Pars vero insolubilis, adfuso Kali puro digesta, grana 2, silicæ, reliquit intacta, 4 or granis aluminæ eductis; hæc tamen Solutio gelatinosa reddita est, ob partem Silicæ digestionem calidam receptam, Ferri, aut alterius metalli, nec reagentibus, neque sub ipsa resolutione quidquam comparuit.



Solutio salium ad pelliculam evaporata, refrigeratione crystallos lamellares irregulares effingebat; deficcata vero, adfusum alcohol  $9\frac{1}{4}$  grana Natri muriatici, a Natro carbonico nullatenus turbati, eduxit; tandem pluries iterata crystallisatione obtenti sunt: Natri Sulphurici grana 67. Natri itidem muriatici 36. grana; Natrum vero carbonicum, injectam crystallum hydrargyri muriatici corrosivi, colore aurantiaco vallans, 18. grana effecit, instillatione acidi Sulphurici determinatum.

Contenta igitur, hujus Acidulae,  
pro Mensura una Civili sunt:

Calcis carbonicæ	-	grana	$10\frac{1}{2}$
Magnesiæ	-	-	15.
Aluminæ mechanice immixtae			4.
Silicæ	-	-	2.
Natri muriatici	-	-	$45\frac{1}{4}$
— Sulphurici	-	—	67.
— Carbonici	-	—	18.
Extractivi circiter		—	1.

---

In Summa. grana  $162.\frac{3}{4}$

Gas vero Carbonici ad minimum 100. poll. cub.

*Vires,*



## *Vires, et usus Acidulae Stojkensis.*

Haec Acidula, quamvis gustu (ob Salium abundantiam) delicatulis minus grata, ex eadem tamen ratione, et gas carbonici, qua pollet abundantia, non immerito inter celebriores Transylvaniæ erit numeranda; *Fies nobilium tu quoque fontium. Hor.* Vi itaque diluente, incidente, penetrante, potenterque resolvente, nec non antacidâ, diuretica, antiseptica, antischrophulosa, anthelminthica, eceoprotica &c. excellere ipsa contenta sat superque evincunt, in omnibus itaque morbis (sub analysi acidularum Bor-szék ut plurimum enumeratis) in quibus prædictarum virium effectus desiderantur, haud dubio successu usurpabuntur; hæc acidula quæ prædictas vi incidente, et resolvente superare videntur; quamvis hæcenus, utpote ignotæ, nullis practicis casibus enituerint. Ferro quidem destitutæ sunt, quod in nostra Patria rarissime accidit; at eo præstantiores effectus multis in calibus edituræ, quod, ubi necessarium fuerit, cura Radnenfibus aliisque ferro armatis erit concludenda.

Id vero dolendum, quod fons hic Saluberimus parcas adeo aquas subministrat, interim





huic quoque malo utcunque mederi licuerit; nam in lata satis ferme 4. or orgiarum in diametro periphæria, undique bululæ, non sine latice erumpentes cernuntur; hi fonticuli, arte hydrotechnica, in unicum alveum coacti, sufficientes utique aquas administrabunt. Lacuna vero, e decurrente rivulo ibidem collecta, loco alioquin patente, facillime in perpetuum abduci, et derivari poterit.





## II.

A N A L Y S I S  
THERMARUM FRIGIDARUM  
ad oppidum *Sibo* Scaturientium.

---

*Situs Loci.*

Fons hic Thermalis frigidus, ab Oppido *Sibo*, occidentem versus, media hora dissitus, in alveo fluvii *Füresz patak* denominati, juxta cujus decursum, in plaga, longitudine 50. ferme, latitudine vero 8 - 10 passus conficiente plurimis venulis, duabus tamen principalibus erumpit, bululis passim exsurgentibus, odore gravi, et sedimento atro discernendis; Fluviolo paulum crescente, per totum aquis, sabulo, lapidibusque obruitur, frequenter excavandus, quod dirivatione fluvii, loco alias sat patente, haud difficulter evitari poterit; Promontoria, hunc locum undiquaque coronæ instar cingentia, sylvosa sunt, passim ex argilla martiali, marga, Lapidibus calcareis, et Pyromachis constituta, conchiliis omnis generis referta.

*Quæ*



## *Qualitates Physicæ.*

*Claritas* aquæ hujus, ea est, ut in fundo minora quæque objecta dilucide conspiciantur; haustæ tamen, in vitro sæpius aperto, sensim obtunditur. *Color* nullus, nisi ob sedimentum atrum in alveo depositum, inspicienti fusco illud colore. — *Odor* Sulphureti, aut pulveris pyrii accensi gravis, in tota late peripheria Sparsus. — *Sapor* intense salsus, ob Sulphuretum nauseosus, pecori tamen admodum gratus.

*Gravitate specifica*, relate ad aquam destillatam ejusdem voluminis, et temperaturæ, in bylance dimensa, hanc superavit in mensura una civili, 240. granis. *Quantitas aquae* erumpentis ea est, ut ex unico fonte principali, hauriendo ope Scaphii per unum virum, difficulter superari potuerit, generatim tamen ob loci depressionem, et venarum dispersionem, mensurari nequivit. *Sedimentum atrum* copiosum deponit, adeo, ut unius noctis spatio, repurgatum alvei fundum ex toto contexerit, lapillis solum nonnullis, materia flavicante (Sulphure deciduo) obductis. *Temperatura*, hora 8<sup>va</sup> matutina Thermometro Reaumuriano, pluries pertentata, supra punctum congelationis, II-um et dimidium gradum exhibuit. *Animalia*, aut *vegetabilia* in latice nulla.

*Habi.*



## *Habitus ad Reagentia.*

1.) *Charta Heliotropio tincta*, fugacem rubedinem concipit; desiccata obscurius cœrulescit, — *In cocta* saturatior evadit.

2.) *C. Acetata* post desiccationem colorem cœruleum plenarie recuperat. — *In cocta* minus perfecte.

3.) *C. Curcumata* obscurius coloratur. — *In cocta* non aequè.

4.) *C. Fernambucata* violaceum tinctum acquirit, — *cum cocta* dilutiorem.

5.) *Tinctura Heliotropii*, aquæ recenti large adfusa, initio rubrum colorem conciliat, mox in Violaceum declinantem; — *Cum cocta* proprium tinctum conservat.

6.) *Tra. Gallarum* aquam allatam non mutat, ad ipsum vero fontem, colorem purpurascens in superficie provocat. — *Coctam* non mutat.

7.) *Baryta muriatica* Lactescensiam sat densam, et Sedimentum album copiosum producit. — *Cum cocta* non secus.

8.) *Kali oxalicum* initio lenes strias, mox dilutam lactescensiam generat; — *cocta* turbidula solum redditur.



9.) *Kali purum* nubeculam transparentem, et post 20. horas sedimentum mucillagosum ostendat, — *Cocta* minus. *Ammonia pura* eadem ratione agit.

10.) *Argenti nitrici* guttulæ, Subito fuscam congrumationem efficiunt, et post 20. horas sedimentum nigrum floccosum exhibent; — *Coctæ* Sordidam flavedinem inducunt, *Hydrargyrum muriaticum*; *Plumbum nitricum*, et *Cuprum sulphuricum* eadem ferme Phenomena provocant.

11.) *Hydrargyro splendenti* fuscam pelliculam inducit.

12.) *Arsenici* Solutio copiose instillata, primo opalescentiam, mox dilutam flavedinem, tandem post 20. horas, sedimentum flavicans ostendit.

13.) *Acidum Sulphuricum* concentratum, ad-fusum, lenem fridorem, et fumum album manifestum elicit.

14.) *Spiritus Saponis* densum coagulam; — *Aqua Calcis*, flocculos innatantes; et *Natrum carbonicum* lenem solummodo turbiditatem provocant.

15.) *Aqua Thermalis*, in poculo, 20. horis, aëri exposita, suapte opalescit, et serius leniter turbida redditur.

### *Gas eductum.*

E 4-*or* pollicibus cubicis, hujus aquæ *Thermalis*, e distantia mediæ horæ allatis, ope *Hydrar-*  
rar-



rargyri, subductis aëre atmosphærico, et gas carbonico, per aquam calcis resorpto, pollicem cubicum  $\frac{1}{2}$  efficiente, obtenti sunt gas hydrogenii Sulphurati  $3\frac{1}{2}$  poll. cubici, seu pro mensura civili una cum gas carbonico, 64. poll. cubici, id est volumen anaticum.

### *Evaporatio.*

Aquæ Thermalis, ad Sibo scaturientis mensura una Civilis, e cucurbita vitrea, consveta methodo, et cautelis, ad unum circiter quadrantem evaporata, per colaturam, et justam deficcationem, præbuit terræ albæ, levis, miculis nitentibus præditæ, grana  $10\frac{1}{2}$  quæ aceto destillato, per acidum muriaticum armato, cum effervescentia soluta, pluries reiterata encheiresi, calcis Carbonicæ  $2\frac{1}{2}$ , at magnesiæ  $7\frac{1}{4}$  grana exhibuit; præterea portioni ejusdem solutionis guttula Trae. Gallarum immissa, illico purpurascentem colorem provocavit, indubio Ferri, circiter ad  $\frac{1}{4}$  grani præsentis, indicio,

Solutio salium, ad eum gradum evaporata, dum crystallos deponeret, limpida perseverans, per refrigerationem partem Natri Sulphurici secernebat, dum vero Natro muriatico inquinaretur, adfusa, aquæ destillatæ calentis, parca quantitas, quæ solummodo Natrum sulphuricum solveret,  
et ce-



et celeriter decantata, elutaque, dum saporem Natri muriatici proderet, sales prædictos utcumque secrevit, præbuitque Natri sulphurici grana 196. Natri vero muriatici 207. grana. Prædicta salium solutio, Chartæ acetatæ rubellum colorem haud delevit; præterea nullo cum acido vel minimam effervescentiam ostendit, certo signo, omne liberum alcali abfuisse, accedit quod eadem solutio, per Natrum carbonicum nullatenus turbaretur, aberant igitur omnes sales terrestres, et metallici.

*Exhibet, aqua hæc Thermalis,*  
*pro qualibet mensura Civili.*

Calcis carbonicæ	- -	grana	2½
Magnesiae	— - -	—	7¼
Ferri ope gas hydrogenii soluti	- -	-	¼
Natri Sulphurici	- -	—	196.
Natri muriatici	- -	—	207.

---

In Summa grana 413.

Gas Hydrogenii Sulphurati poll. cub. 56.  
— Carbonici. — — — 8.

---

64.

*Vires,*



## *Vires, et usus harum Thermarum.*

Aquas hæcæ, diluente, penetrante, incidente, potenter resolvente, quin et roborante Virtute præditas esse, e contentis, paulo ante productis, palam est; haud dubium itaque solamen promittunt, præprimis in Rheumatismo, quamvis inveterato; Arthritide; Paralysi; Contracturis; membrorum debilitate; obstructionibus etiam internis; Scrophulis; ulceribus &c. Exanthematibus item quamplurimis, etiam repressis, Scabie, Herpete, aliisque chronicis, a solidorum laxitate, viscerum obstructione, indeque orta humorum degeneratione natis.







## III.

# A N A L Y S I S

## A Q U A E A M A R I C A N T I S

ad Pagum *Kiss-Czég*  
Scaturientis.

### *Situs Loci.*

---

In meditullio ferme, ita dictæ regionis Campestris (Mezöség) in valle haud inamœna situs est Pagus *Kiss-Czég*, Valachis *Czek-sor* dictus, quem undique Colles sat eminentes, argillaceo-Schistosi, Sylvis destituti cingunt; quorum, e latere, merediei objecto, intra ipsum Pagum, e Stratis ardesiæ, et margæ induratæ, quatuor fonticulis, aliquot solummodo passus ab invicem remotis, exfillant potius, quam Scaturiunt aquæ hæ amaricantes: Fons in medio situs, ad profunditatem unius circiter orgiæ excavatus, et lignis in quadratum positus exceptus, quolibet latere  $3\frac{1}{2}$  ferme pedes metiente, continet aquas, obstructo eorum canali, nullum effluxum habentes, usui publico destinatas; Reliqui duo fonticuli paulo inferius, neglecti, omnique spureitie repleti, præter quartum lateralem lapidibus expositum, minus salsum usui œconomico destinatum.

*Qua-*



## Qualitates Physicæ.

*Claritas* huius aquæ nulla. *Color* flavicans instar lixivii tenuis, in poculo minus. *Odor* nullus; *Sapor* Salsus, at mitior, ad amarum declinans. *Gravitate specifica* superabat aquam destillatam ( pro ea divenditam ) ejusdem voluminis, et temperaturæ, pro mensura una Civili, gravis 160. *Temperatura* Thermometro Reaumuriano, 5-ta Octobris, oriente sole, dum in aura 10-um tene-  
ret, pertentata, ad 9-um descendit gradum.

*Quantitas* hujus aquæ, dum minus hauritur, in alveo sat magna, raro effluens, stagnans, *Sedi-  
mentum* nullum, nisi ad latera alvei argillaceum. *Efflorescentia* in ampla collis peripheria, sicco tempore, a longe conspicua, sapore pungente, et refrigeranti-amaricante, manifesta. *Animalia* aut *vegetabilia* in aquis ipsis nulla.

Repurgatus tandem alveus, intra 24. horas sat copiosas, non nisi opalescentes majori in gradu amaricantes adeoque præstantiores colle-  
git aquas.

## Habitus ad Reagentia.

1.) *Charta Heliotropiata* aquæ huic re-  
centi immersa, nullam manifestam coloris



mutationem subivit; ambigue tantum sub-rubella; — In *Decocta* vero minime.

2.) *C. eadem aceto rubens* colorem cœruleum recuperavit, at dilutiorem; — In *Cocta* æque.

3.) *C. Curcumata* paulo saturatior red-dita. — In *Cocta* minus.

4.) *C. Fernambucata* in utraque dilute rubescit.

5.) *Tinctura Heliotropii* violacea, aquae recenti large infusa nullam ferme induxit mutationem, transacta tamen nocte saturatior visa (ob aërem)

6.) *Tra. Gallarum*, et *Kali borussicum* nil mutant.

7.) *Baryta muriatica* densam illico lactescen-tiam, cum coagulis exhibet, et copiosum sedi-mentum præbet, tam in recenti, quam in *Cocta*.

8.) *Argentum Nitricum* illico floccos, et gru-mos deciduos produxit, serius cinerascens; — *Cum Cocta* non secus. *Hydrargyrum Nitricum* flavicans sedimentum præbet; prout etiam *Plum-bum aceticum*.

9.) *Kali oxalicum* primum strias albidas, mox turbiditatem, et intra 12. horas, parcum sedi-mentum provocat. — *Coctam* nullatenus mutat.



10. *Kali puro* adfuso leves flocculi subcaerulefcentes, et post 12. horas mucillaginosum sedimentum enascitur. *Ammonia pura* ferme eadem exhibet phenomena.

11.) *Kali carbonicum* adfusum, initio dilutam, et subflavicantem laetefcentiam, spongiose subsidentem procreat, sat voluminosam, quae decantato liquido, et acido Sulphurico instillato, limpide solvebatur, moleculas, per quietem parce deponens. — *Coctam* segnius mutat, mox tamen flocculos producit. Eadem ferme ratione agunt: *Natrum Carbonicum*; *Aqua Calcis*; et *Spiritus Saponis*.

12.) *Acidum Sulphuricum concentratum* adfusum, mediocrem itridorem, et fumum album elicit, aqua interim effervescente.

13.) *Alkohol*, anatrice adfusum, opalinam reddidit aquam, nullas tamen crystallos produxit.

14.) *Alumina Sulphurica* terram suam parallele, sed parce deposuit.

### *Evaporatio.*

Mensura una civilis, aquae hujus amarican-tis, e cucurbita vitrea, ad unam octavam partem circiter evaporata, sedimentum interim album



deposuit, quod Colo segregatum, et rite desiccatum grana 10. ponderabat; hocce, 30. guttis acidi muriatici, aquæ puræ instillatis, solum 2. grana, acidis etiam fortioribus intacta, aluminam referentia, reliquit: E limpida vero solutione, addito Kali Tartarisato (Tartaro solubili) sola Calx praecepta acta, facta reductione, calcis carbonicæ grana 3. exhibuit. Magnesia vero, e solutione eadem per Ammoniam puram excussa, et desiccata, grana 5. ponderavit.

Solutio interim Salium lenta evaporatione ad 4. circiter uncias liquidi reducta, pelliculam, et crystallos plumoso-aciculares in fundo, et ad vitri latera ostentabat, loco frigido intra 24. horas multum adactas, e quibus, dum liquidum, in aliud poculum decantaretur, subito in crystallos pulcre lamellares, instar Natri Sulphurici concrevit, liquido residuo, poculo inverso, guttatim exsudant, et Natrum muriaticum sapore exacte referente. Prima itaque crystallisatione, obtenta est Magnesia Sulphurica, granorum 60. cujus Solutio, a Natro carbonico dense lactescebat; Secunda vero, Natrum Sulphuricum granorum 264. adeo purum concrevit, ut a Kali carbonico nihil ferme turbaretur; tandem Natrum muriaticum in cubis crystallisatum 27. grana ponderavit. Interim lixivium, crystallique flavescens, extractivi circiter grana duo indicabant.

Gas



*Gas Carbonicum*, Charta, et Tinctura Heliotropii, item concussione in vitro, et coctione, dubie solum indicatum, ob defectum carbonum, ad ipsum fontem, educi nequivit; nihilominus, cum Calcem, et Magnesiam carbonicas, solutas retineret, aliquot pollicum cubicorum, pro mensura civili, certe adesse oportebat.

Continet itaque aqua hæc amaricans, in mensura una civili.

Calcis carbonicæ	-	grana	3.
Magnesiae	-	-	5.
Aluminæ mechanice immixtae			2.
Magnesiae Sulphuricae	-		60.
Natri Sulphurici	-	-	264.
Natri muriatici	-		27.
Extractivi	-	-	2.

---

In Summa. grana 363.

*Gas Carbonici* vero circiter 5.—6. poll. cub.

Vires, et usus inferius attinguntur.



## IV.

A N A L Y S I S  
 AQUAE AMARICANTIS  
 e Territorio Pagi *Ölves* allatae.

Aqua hæc amaricans, e Territorio Pagi *Ölves*, vitris subere clausis, diurno itinere ad *Kifs - Czég* allata, sat *Clara*, nullius *coloris*, aut *odoris*, *Saporis* vero mitis, at manifeste amaricantis existit; die sequenti tentamini subjecta.

*Ad Reagentia sequentem habitum  
 exhibuit:*

- 1.) *Chartam Heliotropio tinctam*, non mutat,
- 2.) *C. eadam Acetata* post desiccationem ruborem amittit.
- 3.) *C. Curcumata* badia evadit.
- 4.) *C. Fernambucata* ruborem contrahit.
- 5.) *Tinctura Heliotropii*, aquæ recenti adfusa, colorem violaceum immutatum conservat.
- 6.) *Tinctura Gallarum* nihil indigitat.
- 7.) *Baryta muriatica* lacteam densitatem, mox



mox subsidentem induxit, et copiosum candidum sedimentum exhibuit; *Plumbum aceticum* adhuc efficacius.

8.) *Argentum nitricum*, dilutam, eamque flavicantem lactescentiam provocat, mox subsidentem, et cinerascentem. *Hydrargyrum vero nitricum* nubeculam subflavicantem elicit.

9.) *Kali oxalicum* segnius lenem turbiditatem, et tandem sedimentum transparens producit.

10.) *Kali purum* illico densiorem lactescentiam, serius vero mucillaginosum, flavicans, et voluminosum sedimentum ostentat; *Ammonia pura* haud secus.

11.) *Kali carbonico* dense lactescit, mox per totum floccos efformans, et coagulum enatans, quod liquido decantato, et acido Sulphurico instillato, limpide solvebatur, exiguas solummodo moleculas sero deponens; Eundem effectum edunt; *Natrum carbonicum*; *aqua calcis*, et *Spiritus saponis*.

12.) *Acido Sulphurico concentrato* adfuso, leniter fridet, exiguo vapore griseo conspicuo, et pullum effervescit.

13.) *CrySTALLUS aluminae Sulphuricae* immissa, levem, et paralellam nubeculam dimisit.





## *Evaporatio.*

Sæpius iterata methodo, aquæ hujus, ex *Olves* allatæ, mensura una, ad dimidium circiter quadrantem evaporata, terræque deciduæ colo segregatæ, et deficcata, ponderavere grana 13. quæ acido muriatico, admodum diluto solutæ, ope Kali tartarisati præbuere Calcis carbonicæ grana  $4\frac{1}{4}$ , magnesiæ vero, ammonia pura exculsæ, grana 7. residua adhuc a solutione alumina, grani  $1\frac{1}{2}$ .

Solutio salium debitæ inspissata, primo crystallos aciculares, et plumosas exhibuit, mox in massam glaciæ æmulam concrevit, tum desiccata ponderavit grana 264. quæ exceptis circiter 4. granis Natri muriatici, tota quanta e magnesia Sulphurica constabat, nullo Natro carbonico, aut Sulphurico præsentibus; nam 20. granis hujus Salis, aqua destillata solutis, ope ammoniæ puræ, Magnesia ex toto præcipitata, et deficcata, dedit 4. grana, quæ 20. granis Magnesiæ Sulphuricæ, complete æquivalent. Alkohol adfusum, spatio noctis, nil Salium deliquescentium eduxit; Extractivum vero, ferme granum unum effecit.



Contentum itaque hujus aquæ amarican-  
tantis pro Mensura una Civili est.

Calcis carbonicæ	-	-	grana	4 $\frac{1}{4}$
Magnesiae	—	-	—	7.
Aluminæ mechanicæ immixtæ	—	-	—	1 $\frac{1}{2}$
Magnesiae Sulphuricæ	-	—	—	260.
Natri muriatici	-	-	—	4.
Extractivi	-	-	—	1.

---

In Summa grana 277  $\frac{3}{4}$ .

Gas carbonicum aliquot pollicum cubicorum.

### *Vires, et Usus.*

Hæ aquæ amaricantes, in *Kis-Czég* videlicet, et ad Pagum *Ölves* Scaturientes, quoad vires medicas utcunque conveniunt, quamvis posteriores, paulo debiliores depræhendantur, gustu tamen eo gratiores; Parciori itaque dosi, vim diluentem, incidentem, efficacissime resolventem, et diureticam; majori vero, alvum abducentem, exserere, ex ipsis contentis palam est: itaque in morbis primarum viarum, ita denominatis, præcipue mucosis: Nausea, vomitu habituali, adpetitu dejecto, viscerum interiorum,



norum, praeprimis hepatis, et lienis obstructi-  
onibus, febribusque intermittentibus, eadem ex  
causa ortis; congestionibus item, et obstipationi-  
bus consuetis, hæmorrhoidibus cœcis, et mu-  
cosis, universim, in morbis abdominalibus quam  
plurimis, recto usu, efficaciter profuerint.

## A P P E N D I X.

### *De Magnesia!*

Cum Magnesia alba officinarum (Magnesia salis amari) ab exteris oris-advecta, notabili adeo pretio; et quidem in nostratibus ita dictis Apothecis, normaliter ejusdem Semuncia 20, ustae vero eadem quantitas, 44. crucigeris, divendatur; utile erat, eandem e fonte ad Pagum *Ölves* Scaturiente, minimo, quo posset sumtu, purissimam elicere: Cum vero fons paulo ante memoratus, dimidiam fere quantitatem contineat Magnesiæ Sulphuricæ, ac fons Seydschützensis per totam Europam celebratus, hic videlicet, in 64. pollicibus cubicis aquae, 550. grana, Ölvesiensis vero 260. unde manifestum est, e nostro quoque fonte sufficientem pro utroque Regno Magnesiæ albæ quantitatem posse



posse obtineri; Præterea credibile admodum est, in eodem Tractu Campestri dicto, alios quoque fontes, eodem Sale ditiores, fore reperiundos; nam aquae earundem plagarum (uti ex hætenus examinatis palam est) utcunque congeneres existunt; Interim, ad quantitatem, quae obtineri posset, exacte determinandam, sufficiens aquae copia desiderabatur.

